TROCHILUS COLUBRIS.

****

CHARACTER GENERICUS.

Roſtrum ſubulato-filiforme, apice tubulato, capite longius: Mandibula ſuperior vaginans inferiorem.

Lingua filiformis, filis duobus coalitis tubuloſa.

Pedes ambulatorii.

Lin. Syſt. Nat. p. 189.

HARACTER SPECIFICUS, &c.

TROCHILUS rectiroſtris viridi-aureus, rectricibus nigris, lateralibus tribus ferrugineis apice albis, gula flammea.

Lin. Syſt. Nat. p. 191.

MELLIVORA gula rubra.

Edw. Av. t. 36.

MELLIVORA Avis Carolinenſis.

Cateſb. Carol. 1. p. 65.

Coloribus nitidis adeo gemmeiſque exornatur minutum Trochili genus, ut ſi cum his comparantur, non modo ſordeant prorſus et obſcurentur avium plurium regiones calidiores incolentium venuſtiſſimi colores, ſed et aurum ipſum pyropuſque longe ſuperentur. Nequeunt igitur ulla arte ſplendidiſſimi hi colores ad

 vivum

vivum exprimi, quæ tum ſane magnum præſtitit, ſi inſigne harum avium decus imitando adumbraverit. Regulus criſtatus Europæus avicula omnium minima diu habebatur, et ſtupebant prorſus noſtrates phyſici, cum aves Americanas vel ipſis inſectis Europeis minores conſpicerent; inter quas eſt Trochilus vix ſcarabæo vulgari major. Cum tamen minuta hæc ſpecies cæteris cedat colorum ſplendoribus, ſatius duxi aliam eamque elegantiorem exprimere.

Formoſiſſima hæc avicula plurimas Americæ partes, Carolinam præcipue tam Septentrionalem quam Auſtralem inhabitat. Roſtrum illi nigrum eſt. Corporis ſuperiora ſplendent aureo-viridi, et mutabili colore. Gulam decorant plumæ coccineæ nitidiſſimæ, quæ pro lucis ratione in aureum fulgentiſſimum tranſeunt. Pectus et abdomen albicant. Alarum remigeo fuſco-purpurei. Feminæ ſuperficies inferior albicat, carens omnino rubore illo eximio quo mas inſignitur. Miranda eſt huic aviculæ pennarum velocitas. Inter volandum cibum capit phalænæ more, linguam nempe tubulatam in fundum florum immergens et mel inde exugens. Pugnaciſſimo eſt ingenio, nec raro de eodem flore acerrime dimicatur. In domus frequenter involat Trochilus, cumque, more inſectorum Europæorum, tres quatuorve gyros egerit, dicto citius e feneſtris effugit. Ubi denſiſſima eſt arborum coma nidificat, plerumque inter furcas ramulorum. Diametros interna nido eſt unciæ, profunditaſque unciæ dimidiatæ: tomento, ſeu lanugine plantarum intus ſtruitur, extrinſecus muſco et lichene ſtipatur. Ova tantum duo deponit hæc avis, alba, magnitudine piſorum. Dum incubat